

1979-04-29 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Illustris Decessor’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

ILLUSTRIS DECESSOR

VENERABILI FRANCISCO COLL HONORES BEATORUM DECERNUNTUR

Illustris Decessor Noster Honorius Pp. III, qui Ordinem Fratrum Praedicatorum apostolica auctoritate probaverat, beato Dominico eiusque Fratribus scribens haec habet: «Is qui Ecclesiam suam nova semper prole fecundat, volens haec moderna tempora conformare prioribus, et fidem catholicam propagare, pium inspiravit vobis affectum, quo, amplexi paupertatem et regularem vitam professi, verbi Dei exhortationi vacetis, evangelizantes per orbem nomen Domini nostri Iesu Christi» (MOPH XXV, 144). Haec autem fuit etiam nota ac proprietas venerabilis Servi Dei Francisci Coli; cuius vitae singularis admodum pauca attingere placet. Natus est in pago Gombreny, qui est in dioecesi Vicensi, intra fines provinciae Geronensis, in Hispania, die duodevicesimo mensis Maii, anno MDCCCXII. Eius parentes fuerunt Petrus Coll atque Magdalena Guitart. Est autem postridie quam natus est baptizatus; atque anno MDCCCXVIII sacro Chrismate inunctus. Tenui loco ortus, pauperem adulescentiam egit, in agresti ac montano pago. At, ecce, mature Deus ad sacerdotium invitat, cuius adipiscendi gratia est Seminarium Vicense ingressus. Anno autem MDCCCXXX interiore voce impulsas, novicius Ordinis S. Dominici factus est, religiosa Domo «ab Annuntiata» exceptus quae Geroliam erat; atque ibi loci in studia theologica diligenter incubuit. Sed anno MDCCCXXXV est ab eo nido iniqua lege abstractus; qua de re Franciscus Coll Vicum rediit; ubi die XXVIII mensis Maii, anno MDCCCXXXVI, est sacerdotio initiatus. Facultatem vero consecutus a sui Ordinis Moderatore, Vicarium paroecialem egit primum quidem in pago Artés, deinde in loco Moya; sed, cum ad praedicandum valde inclinaret, idcirco anno MDCCCXLIX, post acceptum a Summo Pontifice Pio IX munus «Missionarii apostolici», iam abdicato munere, ministerio verbi totus instituit, sede Vici perpetuo collocata. Quin etiam, anno MDCCCL, est Moderator supremus Tertii Ordinis Dominicani renunciatus totius Catalauniae. Ceterum, status eius semper is fuit, ut, quamquam erat Episcopo loci obnoxius, vinculis tamen Religiosae oboedientiae Ordini suo adhaeresceret. Nihil ergo mirum, si eo tempore ei officium datum est sacras Virgines sui Ordinis (Tertiarias dicunt) regendi. Tandem, anno MDCCCLXIX, apoplexi correptus, caecus factus est per sex circiter annos; in quibus, quo maior et obscurior oculorum caligo, eo illustrior diffuso lumine nituit anima, quam die altero mensis Aprilis Deo restituit, anno MDCCCLXXV. Franciscum Coll triplici laude praecipue floruisse: viri missionarii, fundatoris, atque Sancti. Nam eius omnes labor eo tetendit, ut christianam fidem in Catalauniae finibus restitueret, quam bellum civile ac discordiae primum, deinde aucta regionis industria atque mercatura turbaverant, ac ceu ventus miscuerant. Cumque gentis indolem exploratam haberet, eius praedicatio per animos permanabat simplex et efficax, ac tantopere contulit ad christianam religionem eo saeculo in Europa revocandam. Fidelis autem Dei Servus, paupertate ac paenitentia fultus, omnes dioeceses Catalauniae circumibat, praedicans Evangelium regni (cfr. *Mt.* 4, 23), solus interdum, cum aliis nonnumquam, in quibus aliquando fuit S. Antonius Maria Claret, operis comes dilectus. Verba autem Francisci, spei et amoris plena, Christifideles ad sacramenta, maxime Paenitentiae, sancte suscipienda parabant, quae ille plures saepe horas turbis administrabat. Admirabili vero studio atque cura celebrando Rosario B. M. V. instabat, quo tamquam forma simplici eademque apta praedicandae populo salutis uti consueverat. Neque haec eum avertabat a sua ipsius sanctitate quaerenda. Nam, etsi erat omni suorum destitutus auxilio, tamen «contra spero in spem credidit» (*Rom.* 4, 18); atque pro rerum discrimina mille integra ac tenaci fide in Religione Dominicana stetit, quam fuerat professus. At vero, usus animorum varius, id effecit, ut paulatim conscientia constituendae novae Societatis Religiosae in eo emergeret, qua, redintegrata Dominicana pietate, mulieres doceret educare puellas, rusticas et urbanas, tot periculis incautae iuventuti imminentibus. Atque recte providit, ut hae Sorores, quas parabat, in scholis publicis magistrae docerent. Nata ergo, anno MDCCCLVI, Societas mulierum Dominicanarum, quam postea «ab Annuntiata» cognominavit; cui viginti fere annos praefuit magister, pater, praesidium. Ceu arbor alita sole, nova Congregatio brevi fines protulit non modo per Hispaniam, sed etiam ad exterarum nationes. Neque omittenda aut parvi facienda est, in eius laudem, Regula, quam sapienter scripsit, ad quamque voluit illas coram Deo ambulare. Si vero nunc ad eius virtutes penitus intendamus, iam invenimus illum verum Dei hominem fuisse, utpote cuius et mens, et cor, et voluntas a sensibilibus rebus abstracta, uni Deo adhaerent. Beato Dominico similis, Franciscus Coli «cum Deo, vel de Deo semper loquebatur» (MOPH XVI, 161), egregia sane pietate suffultus, quam intenta contemplatione alebat, maxime Passionis Christi atque Beatissimae Matris cruciatuum. Neque abfuerunt ab eius vita dura paenitentiae certamina, quae et diutina et magna fuisse constat. Sed forti animo ei superavit propter eum qui dilexit nos» (*Rom.* 8, 37). Ad eius autem Beatificationis causam quod attinet, ea initia sumpsit anno MDCCCXXX, quo in dioecesi Vicensi de eius vita ac fana sanctitatis agi coeptum. Ea vero inquisitione absoluta, Processus Apostolicus de virtutibus actus est annis MDCCCXLIII-MDCCCXLV, cuius subsignata Commissio Causae fuerat anno MDCCCXLI. Probatis autem

virtutibus a Paulo VI P.M. die IV mensis Maii, anno MDCCCCLXX, de miraculis disceptatum est, rite. Quorum unum est ab eodem Decessore Nostro f.r. probatum die VII mensis Iulii a. MDCCCCLXXVII, qui cavit etiam ut id satis esset ad Beatificationem. Quae tandem hodie celebrata est, Romae, in Petriano templo, una cum Beatificatione Servi Dei Iacobi Desiderati Laval. Mane ergo, inter Missam translaticiam formulam pronuntiavimus, quae est: «Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Margéot, Episcopi Portus Ludovici, et Raimundi Masnou Boixeda, Episcopi Vicensis, necnon plurium aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium expletes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Iacobus Desideratus Laval et Franciscus Coll, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: Beati Iacobi Desiderati Laval die IX Septembris, Beati Francisci Coll die II Aprilis, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen»; atque sermonem de vita atque virtutibus Beatorum illorum habuimus. Contraries nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXIX mensis Aprilis, anno MDCCCCLXXVIII, Pontificatus Nostri primo.

AUGUSTINUS CASAROLI, Archiep. tit. Carthagenen.,
Pro-Secretarius Status